

PRIMA PARS DE FABRICA ASTROLABII, OMNES CIRCULORUM arcuum, linearum, graduum & partium inscriptiones exactissime absoluit.

Propositio. I.

PROPOSITIO PRIMA, MATERIAM pro Astrolabij constructiōe præparare.

FX METALLO PVTA CVPRO AVT AVRIL chalco, uel ex ligno duro, solido ac firmo fabricetur tabula plana, quæ arte tornandi rotundetur. Ita tamen, quod una eius superficies concaveetur, hoc pacto quod limbus, margo aut pars exterior sit aliquantulū eleuatioꝝ parte interiori. Quæ quidem superficies sic concauata, dicitur facies Astrolabij. Reliqua autem superficies quæ omnino plana est, dorsum Astrolabij appellatur. Pars igitur faciei extrema (ut iam exposuimus) limbus aut margo. Interior autem pars mater haud iniuria nominatur. Concauatur autem una superficies Astrolabij, ut plurimarum tabularum diuersis regionibus & climatibus seruiuentium sit capax.

Facies Astrolabij.
Dorsum astrolabij
Limbus, Mater.
Propo. II.

PROPOSITIO II, LIMBVM AVT MARGINEM in suas partes cōgruas distribuere.

- 1 **I**N FACIE TABVLAE PRAEPARATAE quere centrum quod uocetur, e. Super quo. offitio circini describe in limbo secundum tabulae capacitatem circulū maiorem, ita tamen quod extremitatem tabulae non omnino tangat. ¶ Deinde circino constructo ex eodem centro, e. produc alium circulum minorem, tantum distantem a primo, quod inter ipsos possit scribi numerus horarum diei naturalis.
- 2
- 3
- 4 ¶ Iterum restringe circinum & protrahe tertium circulum tantum solūmodo distantem a secūdo, quod inter ipsos possint cadere singulares graduum diuisiones.
- 5 ¶ Rursus iterum comprime circinum & depinge in eodem centro quartum circulum tantum distantem a tertio, ut inter ipsos possit scribi numerus graduum æquinoctialis distinctorum per 5. & 5. Hi circuli quatuor sic rite descripti, constituunt limbum aut marginem astrolabij ubiq; terrarum uniformiter se habentem.
- 6 ¶ Præterea quadrabis limbum per centrum, e. duabus diametris signando puncta extremitatum his literis, a, b, c. Locando, a. in superiori parte, b. uersus dextram c. in opposito, a. & d. in opposito, b. Secat igitur linea a, c. lineā. b, d. ad angulos rectos, & erunt hæ lineæ aut diametri communes limbo & matri.
- 7 ¶ Deinde circulum secundum aut tertium limbi diuide in 360. partes aut gradus, hoc modo: quamlibet quartam circuli iam dicti partire primum in tres partes æquas. & iterum quamlibet partem in duas. & habes in toto circulo, 24. partes. Quibus & centro, e. applica regulam & pinge aut trahere lineas per omnes quatuor circulos, & sunt hæ lineæ horarum diei naturalis.
- 8 ¶ Postea quamlibet, 24. partium diuide in 3. partes: & his & centro, e. iunge & regulam & duc lineas a secundo circulo usq; in quartum.
- 9 ¶ Demum quamlibet partem distribue in 5. particulas æquales. Quibus & centro apta regulam, & duc lineas minutas a secundo circulo in tertium. & ita partit⁹ est circulus optatus in 360. partes aut gradus.
- 10 ¶ Numerū horarum diei scribe in intercapedine primi & secūdi circuli inchoādo in linea post, a. uersus dextrā: primæ igitur lineæ ascribe, 1. Secundæ, 2. Tertix, 3. & sic deinceps usq; in 12. quæ horam conticinij aut mediæ noctis indicant: & ponunt circa literam, c. Et post noctis mediū iterum incipe scribere ad lineas, 1, 2, 3, & c. continuando usq; in 12. quæ horam meridiæ pandunt & literæ a. iunguntur.

De diuisione limbi,

De inscriutiōe numeri horarū